

inceptam guerram presentem et det potestatem dicto domino comiti et deputandis ab eo et cuilibet ipsorum, si qua alia nova dubbia occurrisserent inter ipsum dominum imperatorem et januenses predictos super ipsis cognoscendi, dicendi, declarandi, pronunciandi et disponendi, prout ipsius domini comitis vel ejus nunciorum fuerit voluntatis. Et recipiat ipse dominus imperator Kalojanus dominum Andronicum ejus filium ad ejus gratiam, ordinando quod ipse dominus Andronicus eidem patri suo succedat in imperio Constantinopolitano post ejus dicti patris obitum et decessum; ipso tamen domino Kalojano dum vixerit domino dicti imperii remanente. Quibus pendentibus dicti Veneti prefato domino Kalojano non prebeant auxilium, consilium vel favorem. Ipsi tamen factis, ut supra, vel saltem per dictum dominum Kalojanum non staret quominus predicta fierent, ut profertur, tunc eo ipso et incontinenti eciam predictis novis dubiis non sedatis, super quibus sedandis prefato domino comiti potestas extiterit, ut predictitur attribuita, possint ipsi Veneti et eis liceat per dictum grecorum imperium cum ipsorum mercibus et rebus libere more solito navigare. Et si forte dictus dominus Andronicus ejusdem patris sui servata forma predicta pacem facere et recipere recusaret, vel per eum staret quominus fieret dicta forma, tunc eciam liceat dictis Venitis libere per dictum grecorum imperium cum eorum et cuiuslibet eorum bonis, mercibus et rebus more solito navigare. Acto tamen quod facta et non facta pace predicta inter prefatos dominos imperatores Kalojanum et Andronicum et Januenses, ut supra, dicto imperatore Kalojano se et suos ad fidem catholicam reducere recusante, semper dicti Januenses et Veneti teneantur et debeant, quandounque pro parte dicti domini comitis fuerint requisiti, eidem domino comiti Sabaudie toto eorum posse prestare auxilium, consilium, et favorem contra dictum dominum imperatorem Kalojanum, sic et taliter quod ipsorum viribus et potentia mediante ad fidem catholicam deo propitio convertatur. Quia vero supradicti sindici, procuratores, ambaxiatores et nuncii prefati illustris domini ducis